2

JESUS MARIA.

ALIA

ARGUMENTA PSALMORUM

Ad utiliorem Divini Officii recitationem.

PER

P. F. DOMINICUM A JESU MARIA Carmelitam Discalceatum.

E multiplici Sanctorum Patrum, & insignium Doctorum expositione tàm litterali, quàm spirituali decerpta.





ROMÆ Ex Typographia Alexandri Zannetti 1623.

Secunda Impressio

ROMÆ, MDCCXXIV. 2

Ex Typographia Petri Ferri sub Bibliotheca Casanat.

Superiorum permissu.

Imprimatur, si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sacri Palatii Apostolici.
A. Episc. Hieracen. Vicesg.

Imprimatur.
Fr. Nicolaus Rodulfius Ord. Præd. Sacri Apostolici Palatii Mag.

Reimprimatur, si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sacri Palatii Apostolici.
N. Episc. Bojanen. Vicesg.

Reimprimatur.
Fr. Gregorius Selleri Ord. Prædicatorum Sac. Pal. Apost. Mag.



Devoto, ac pio Lectori.



Ententia est Divi Augustini; inter divinas Scripturas Psalmorum librum continere quæcumque utilia sunt ex omnibus aliis. Futura prædicat, veterum gesta commemorat; legem viventibus tribuit; gerendorum statuit modum, & denique communis quidam bonæ doctrinæ thesaurus est. Hic enim discitur omnis magnitudo virtutis, norma justitiæ, pudicitiæ decor, prudentiæ confirmatio, patientiæ regula. Fugat verò psalmodia dæmones; Angelos in adjutorium vocat, excitat devotionem, placat Deum, impetrat veniam, hilarat animam, illuminat conscientiam; & demùm [ut Cassiodorus ait] Psalmodia est consolatio flentium, cura dolentium, sanitas ægrotantium, animæ remedium, miserorum omnium refugium. Verùm [ut ait Hieronymus]


mus] non putemus in verbis ſcripturarum eſſe Evangelium, ſed in ſenſu; non in ſuperficie, ſed in medulla.

Operæ prętium ergò erit breviſſima aliquot argumenta ad unumquemque pſalmum juxtà ſenſum communiorem Sanctorum Patrum, ſacrorumque Expoſitorum præ manibus habere, in quibus compendioſa quædam, & propria intelligentia uniuſcujuſque Pſalmi cerni, quaſi uno ictu oculi poſſit; Ut ità Miniſtri Eccleſiæ, ac reliqui etiàm Pſalmos die recitantes, dùm latentia eorumdem Pſalmorum mella deguſtant, alacriori, ferventiorique devotione laudes Domino decantent. Ponuntur quoque argumenta Canticorum, quibus utitur Eccleſia Romana in divino officio.

Quæ omnia & ſingula ejuſdem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ judicio ſubmitto.

Vale pie Lector, & fruere.

Alia



Alia Argumenta Psalmorum.

Psalmus primus.

BEatus vir qui non abiit, &c.

Argumentum.

IVstos dicit crescere juxtà fluenta gratiæ usque ad beatitudinem, impios verò, miseros esse ad instar pulveris.

Psal. 2.

QVarè fremuerunt gentes, &c.

Argumentum.

FIrmitatem Regni Christi in passione,& victoriam ejus in Resurrectione prędicat contrà mundi persecutiones.

Psal. 3.

DOmine quid multiplicati sunt, &c.

Argumentum.

INducit Christum, qui cum Patre conquęratur de multitudine tribulantium, à quibus tamèn se sperat liberandum.

Psal. 4.

CVm invocarem exaudivit, &c.

Argumentum.

ECclesiæ hostes hortatur, ut desistant, frustrà enim oppugnant eos, qui in tribulatione ad Deum clamant.

Psal. 5.

VErba mea auribus percipe Domine, &c.

Argumentum.

DEo tanquàm Iudici suam causam exponit; exoratque; ut malos pu-

punial, & bonos remuneret.

Psal. 6.

DOmine ne in furore tuo arguas me, &c.

Argumentum.

ÆGritudine correptus, ac divinum judiciũ metuens, compunctione cordis Deũ sibi reddit propitium.

Psal. 7.

DOmine Deus meus in te speravi, &c.

Argumentum.

SVam defendens innocentiam contrà Saulis calumnias, petit à Deo servari; ità verò innocens quilibet cum fiducia Deum orare potest.

Psal. 8.

DOmine Dominus noster, &c.

Argumentum.

DEi sapientiam, ac benignitatem laudat ab operibus ejus, præsertim à beneficiis ergà hominem, & Christi exaltatione.

Psal. 9.

COnfitebor tibi Domine &c.

Argumentum.

DVm de prostrato Goliath Deo gratias agit, exultat spiritu de glorioso crucis triumpho.

Psal. 10.

IN Domino confido, &c.

Argumentum.

NVllæ hostium insidiæ illum deterrent, quo minùs in Domino confidat, cujus exemplo excitatur in Ecclesia fiducia in Deum.

Psal. 11.

SAlvum me fac Domine, &c.

Argumentum.

A Simulatione hominum salvari desiderat, & Deo solùm adhærere, cujus verba fidelissima sunt.

Psal. 12.

USquequò Domine oblivisceris &c.

Argumentum.

CVpit à Saule quam primùm liberari, ut liberè Deo laudes cantare possit. Docet modum orandi in tentationibus.

Psal. 13.

DIxit insipiens in corde suo &c.

Argumentum.

OBduratam Iudæorum malitiam increpat, quarè vehementèr optat adventum Christi, ut salvos faciat credentes.

Psal. 14.

DOmine quis habitabit, &c.

Argumentum.

DOcet qualis debeat esse ille, qui in hoc monte Dei,& cęlesti tabernaculo dignè habitaturus est.

Psal. 15.

COnserva me Domine, &c.

Argumentum.

MAximè lætatur de Christi resurrectione, per quam vias vitæ omnibus aperuit.

Psal. 16.

EXaudi Domine justitiam meam, &c.

Argumentum.

OB persecutiones quas innocentèr patitur, petit præsertim pro mercede gloriã contemplandam; quam benè vir patiens sperare potest.

Psal. 17.

DIligam te Domine fortitudo mea, &c.

Argumentum.

GRatias Deo agit, quod in se, & semine suo præsertim in Christo victoriam ab inimicis, & Regnum sit consecutus. Gratiarum actio pro prosperitate temporali, & spirituali.

Psal. 18.

COeli enarrant gloriam Dei &c.

Argumentum.

PRædicat Cœli pulchritudinem, sed desiderabiliorem esse Dei legem, cujus suavitas ad se convertit animas.

Psal. 19.

EXaudiat te Dominus, &c.

Argumentum.

DEum precatur pro felici belli successu. ostendit quomodò in belli congressu orandum sit.

Psal. 20.

DOmine in virtute tua, &c.

Argumentum.

GRatias agit Deo Patri, quod Christum protexerit, & exaltaverit, ejusque hostes tandem perditurus sit.

Psal. 21.

DOmineDeus meus respice in me, &c.

Argumentum.

DEscribit Christi passionem, & Patris derelictionem; agit de fructu, & utilitate illius; benè cōgruit morti proximis.

Psal. 22.

DOminus regit me,&c.

Argumentum.

EXponit quam benè sit alendus EcclesiæGrex à suo pastore in pingui præsertim pascua sacramētorum.

Psal. 23.

DOmini est terra, &c.

Argumentum.

DEum omnia dominari dicit; ad cœlestem autèm montem non ascensuros cum Christo triumphante, nisi innocentes, & rectos.

Psal. 24.

AD te Domine levavi animam meam, &c.

Argumentum.

PEtit à Deo remissionem peccatorum, & gratiam benè vivendi. Convenit oratio incipientiDeo servire, & adhùc in concupiscentiis laboranti.

Psal. 25.

JVdica me Domine, &c.

Argumentum.

PRoptèr innocentiam suam petit à consortio,

tio, & calumniis improborum liberari. Benè congruit Christo, & Martyribus.

Psal. 26.

DOminus illuminatio mea, &c.

Argumentum.

DEi auxilio munitus omnia adversa,& prospera despicit, & totis desideriis ad cœlestia solū anhelat.

Psal. 27.

AD te Domine clamabo, &c.

Argumentum.

PRævidet Christū à mortuis liberum resurgere. ejus verò inimicos puniri, & Dei populum perpetuò servari.

Psal. 28.

AFferte Domino Filii Dei, &c.

Argumentum.

HOrtatur Fideles, ut in Ecclesia spirituales hostias Deo offerant, cujus efficax prædicationis Verbum durissima quæque gentium corda confringit.

Psal. 29.

EXaltabo te Domine, &c.

Argumentum.

GRatiasDeo agit,quòd post multa pericula summo gaudio templum Deo dicaverit. Innuit lætitiam fidelium in templis dedicandis.

Psal. 30.

IN te Domine speravi, &c.

Argumentum.

DE angustiis divinitùs ereptus hortatur exemplo suo afflictam Ecclesiam ad spem totam in Deo collocandam.

Psal. 31.

BEati quorum remissæ sunt, &c.

Ar-

Argumentum.

VI morbi laborans peccata deflet, ut remittantur; hortatur peccatores ad opportunam pœnitentiam, ut sint verè beati.

Psal. 32.

EXultate justi in Domino, &c.

Argumentum.

EXcitat justos ad laudandam providentiam, & bonitatem Dei, quas in seipsis præcipuè in dies experiuntur.

Psal. 33.

BEnedicam Dominum in omni tempore, &c.

Argumentum.

A Periculo mortis liberatus, toto corde benedicit Dominum, & ad ipsum amandum omnes invitat.

Psal. 34.

IVdica Domine nocentes me, &c.

Argumentum.

MAlignitatem oppugnantium se in persona Christi, & Ecclesiæ Patri exponit, ut illos conterat, & sibi in adjutorium exurgat.

Psal. 35.

DIxit injustus, ut delinquat, &c.

Argumentum.

MIratur perversitatem impii, qui Dei timore abjecto tàm dolosè agat. Misericordiam verò Dei exaltat, cum se ad omnes extendat.

Psal. 36.

NOli æmulari in malignantibus, &c.

Argumentum.

DOcet brevem, & vanam esse impiorum prosperitatem & ideò contemnendam; piorũ verò ærumnam brevem, felicitatem verò perpetuam.

Psal.

Psal. 37.

DOmine ne in furore, &c.

Argumentum.

DEscribit miserum peccantis statum, à quo liberabitur si cum dolore peccata recogitet, & futura caveat.

Psal. 38.

DIxi custodiam vias meas &c.

Argumentum.

INter blasphęmos, & iniquos silentium servat, & contrà fortunæ impetus patientia, & oratione firmatur.

Psal. 39.

EXpectans, expectavi Dominum.

Argumentum.

LÆtatur maximè de filii Dei incarnatione, veteris sacrificii immutatione, & legis Evangelicæ promulgatione.

Psal. 40.

BEatus qui intelligit super egenum, & pauperem, &c.

Argumentum.

HOmini benigno ergà pauperes benè à Deo pręcatur: prædicit Christi passionem, & resurrectionem.

Psal. 41.

QVemadmodùm desiderat cervus, &c.

Argumentum.

AMore divino incensus adhùc intèr pericula peregrinationis vivens, vehementèr desiderat Dei visionem.

Psal. 42.

JVdica me Deus, & discerne, &c.

Argumentum.

PEtit à Deo liberationē ab exilio, ut frequentare possit templum Hierusalem, & spe futuræ beatitudinis consolatur.

Psal.

Psal. 43.

DEus auribus nostris audivimus, &c.

Argumentum.

BEneficia Patribus à Deo collata comparat cum præsentibus calamitatibus, ut Deum moveat ad iterùm illa præstanda. Afflictis Martyribus congruit.

Psal. 44.

ERuctavit cor meum verbum &c.

Argumentum.

CHristi decorem, & gratiam, similitèr Ecclesiæ sponsæ laudes celebrat, & monet sponsam, & parentum oblita soli Deo sponso sit dedita.

Psal. 45.

DEus noster refugium, &c.

Argumentum.

INter varios persecutionum fluctus firmam, ac tutam usquè in finem fore Ecclesiam Deo duce, prædicit.

Psal. 46.

OMnes gentes plaudite manibus, &c.

Argumentum.

HOrtatur omnes, ut Christum tanquàm Regem, & cum triumpho ascendentem faustis acclamationibus excipiant.

Psal. 47.

MAgnus Dominus, & laudabilis nimis, &c.

Argumentum.

LAudat Deum, qui ędificiis, ac donis Hierosolymā nobilitavit; prædicit admirabilem, & firmam Ecclesiæ fundationē.

Psal. 48

AVdite hæc omnes gentes, &c.

Argumentum.

DEridet eos, qui nimiùm in divitiis confidunt, quas tamèn alienis relinquent: cum nihil in morte valeat, nisi Virtus, & Iustitia.

Psal. 49.

DEus Deorum, Dominus, &c.

Argumentum.

PRædicit duplicem Christi adventum, & declarat, de quibus potissimùm rebus reddemus rationem in die judicii.

Psal. 50.

MIserere mei Deus, &c.

Argumentum.

DE commissis peccatis supplex à Deo petit veniam, & contriti cordis sacrificium omni victima gratiùs illi offert.

Psal. 51.

QVid gloriaris in malitia, &c.

Argumentum.

DOlum, & malitiam peccatoris reprehendit, & pœnam illi debitam expendit; innocentis verò meritum, & præmium.

Psal. 52.

DIxit insipiens in corde suo, &c.

Argumentum.

DEplorat insipientiam hominum, qui Deum non noverunt, optat Christi adventum, qui eos illuminet, & salvet.

Psal. 53.

DEus in nomine tuo salvum me fac, &c.

Argumentum.

SAulis insidiis cinctus ad Dei manus confugit, & ipsi ut liberatori gratias agit. Sic tribulatus confugere debet ad Deum.

Psal. 54.

EXaudi Deus orationem meam, &c.

Argumentum.

DEscribit varias persecutorum fraudes, & quod justus solùm in oratione, & patientia consolari potest, passioni Christi congruit.

Psal. 55.

MIserere mei Deus quoniam conculcavit, &c.

Argumentum.

IN spe futurę salutis cōfortatur fidelis contrà persecutores, & de adepta salute laudes Deo promittit.

Psal. 56.

MIserere mei Deus miserere mei, &c.

Argumentum.

EX eo, quod machinas sibi paratas in authores ipsos converterit Deus, ad ipsum laudandum magis accenditur. Christo resurgenti convenit.

Psal. 57.

SI verè utique justitiam, &c.

Argumentum.

ARguit iniquitatis improbos Pricipes, & prędicit illis inopinatum interitum.

Psal. 58.

ERipe me de inimicis meis &c.

Argumentum.

PRæfigurat Dominum clamantem ad Patrem, dùm extrema illa nocte à Iudæis obsessus, & captus est.

Psal. 59.

DEus repulisti nos, &c.

Argumentum.

PRæteritis cladibus, & victoriis commemoratis lætus prædicit futuram Ecclesiæ felicitatem, in qua gentes Christi imperio se submittent.

Psal. 60.

EXaudi Deus deprecationem meam &c.

Argumentum.

IN exilio positus docet justos intèr tentationes orare, & ad internam quietem aspirare debere.

Psal. 61.

NOnne Deo subjecta erit, &c.

Argumentum.

SPe, ac fide in Deum confirmat animum; objurgat hostes, & omnes hortatur, ut

ut non in divitiis, sed in solo Deo confidant.

Psal. 62.

DEus, Deus meus ad te, &c.

Argumentum.

IN deserto Iudææ latens ostendit quale sit desiderium justi migrandi de deserto mundi ad cœlestem patriam.

Psal. 63.

EXaudi Deus orationem meam, &c.

Argumentum.

PRæsignat in sui persona afflictiones, quas Christus à linguis, & sagittis inimicorum passurus erat, sed omnia in ipsorum perniciem vertenda esse.

Psal. 64.

TE decet hymnus, &c.

Argumentum.

LAudat Deum pro reditu Israel in Hierusalem, prædicit conversionem infidelium ad Ecclesiam cum spe in cœlestem Hierusalem redeundi.

Psal. 65.

JVbilate Deo omnis terra, &c.

Argumentum.

INvitat omnes ad Dei laudem pro communibus, & sibi propriis beneficiis, præsertim pro felicitate, quam sperat.

Psal. 66.

DEus misereatur nostri, &c.

Argumentum.

INcarnationem Christi ardentèr exoptat, quæ hominibus omnium bonorum causa futura sit.

Psal. 67.

EXurgat Deus, & dissipentur, &c.

Argumentum.

EXultat de Resurrectione, & Ascensione Christi, in qua dissipatur inimici ejus, & indè prædicit felicem Ecclesiæ statum.

Psal.

Psal. 68.

SAlvum me fac Deus, &c.

Argumentum.

IN passionum aquis immersus Christus ad Patrem clamat, eversionem petit Iudæorum, & novæ Ecclesiæ ædificationem.

Psal. 69.

DEus in adjutorium meum intende, &c.

Argumentum.

CVm fugeret ab Absalon salutem à Deo exposcit; figurat orationem Christi in cruce pro celeri salute corporis sui, & Ecclesiæ.

Psal. 70.

IN te Domine speravi, &c.

Argumentum.

SVb exemplo David justi cantare debent laudes gratiarum Deo, ut sicùt à prima ætate, ità & ad extremam, illius auxilium sentiant.

Psal. 71.

DEus judicium tuum regi da, &c.

Argumentum.

IN persona Salomonis describit florentissimum Christi Regnum, & rectitudinem gubernationis ejus.

Psal. 72.

QVam bonus Israel Deus. &c.

Argumentum.

CVm impios florere; pios vero flagellis atteri videat, rei causam discit à contrario illorum exitu, altero quidèm tristi, altero vero læto, & felici.

Psal. 73.

VT quid Deus repulisti in finem, &c.

Argumentum.

PErsecutionem Anthiochi describens orat Deum, cujus potentia mirabilia ope-

operatur, ut gregem suum conservet. Martyribus convenit.

Psal. 74.

CONfitebimur tibi Deus, &c.

Argumentum.

PRo libertate Israel laudes Deo promittit, & monet omnes, ut superbiæ tumore deposito, humilitèr vivant; Deus enim judex est.

Psal. 75.

NOtus in Iudæa Deus, &c.

Argumentum.

EXtollit potentiam Dei in delendis Assyrijs sine labore Iudæorum, hortatur ad vota illi reddenda. Significatur divina protectio in tentationibus justorum.

Psal. 76.

VOce mea ad Dominum clamavi, &c.

Argumentum.

ARiditate vexatus adhùc consolationes respuit vir perfectus, ut totus tandèm in sola Dei præsentia delectetur.

Psal. 77.

ATtendite popule meus legem meam, &c.

Argumentum.

COmmemoratis Dei beneficijs in Israel, monet, ut illi fidem, & cultum servet, ne abijciatur sicut Ephraim. Sic justus in justitia perseveret.

Psal. 78.

DEus venerunt gentes, &c.

Argumentum.

DEflet Hjerusalem ruinas sub Antiocho; orat Deum ut à dilecto populo in hostes ipsos avertat iram. Persecutiones Ecclesiæ sub Tyrannis adumbrat.

Psal. 79.

QVi regis Israel intende, &c.

Argumentum.

CAlamitates Iudeorum sub figura exterminatæ vineæ, & dispersi Gregis plorat, orat Deum, ut per Christum illam visitet, & oves in unum colligat, liberatio generis humani per Christum.

Psal. 80.

EXultate Deo adiutori nostro, &c.

Argumentum.

HOrtatur omnes ad dies festos ritè celebrandos ob cumulata à Deo beneficia; hebræos arguit negligentiæ, & ingratitudinis.

Psal. 81.

DEus stetit in synagoga Deorum, &c.

Argumentum.

PRincipes iniustè judicantes in persona justi Iudicis arguit, & justum judicium à Deo proferendum prædicit.

Psal. 82.

DEus quis similis erit tibi, &c.

Argumentum.

ORat, ut hostium audaciam, & impetum coerceat, qui adversùs Israelitas conspiraverant. Oratio, in bellis Antichristi, & aliorum adversùs Ecclesiam.

Psal. 83.

QVam dilecta tabernacula, &c.

Argumentum.

CAptivi in Babylone ad solitum Dei cultum in templum redire suspirant, & Christum desiderant. Oratio Ecclesiæ æstuantis in cælestia tabernacula.

Psal. 84.

Benedixisti Domine. &c.

Argumentum.

PRædicit liberationem generis humani de manu dæmonis; Deum, ut quam-

quamprimùm illam exequatur.

Psal. 85.

INclina Domine aurem tuam, &c.

Argumentum.

ORat misericordiam Dei, ut sibi sit in præsidium, & salutem adversùs potentes, & iniquos, qui vitæ suæ insidias parant.

Psal. 86.

FVndamenta ejus, &c.

Argumentum.

ECclesiæ triumphantis, & militantis laudes canit, ex eo maximè, quià proprio sanguine fundavit eam Altissimus.

Psal. 87.

DOmine Deus salutis meæ, &c.

Argumentum.

MIserias suas ægrotus memorat, à quibus postulat eripi, ut vivens Deum laudare possit. Morbo laborantibus congruit, & Christi passioni.

Psal. 88.

MIsericordias Domini, &c.

Argumentum.

PRomissio facta de perpetuitate Regni non in filijs carnalibus adimplenda, orat, ut in Christo vero Rege adimpleatur.

Psal. 89.

DOmine refugium factus es nobis.

Argumentum.

GRatiam Dei assiduè postulat, ut ærumnas hujus vitæ faciliùs toleret, & ad gaudia sempiterna perveniat.

Psal. 90.

QVi habitat in adiutorio, &c.

Argumentum.

SPerantem in Domino ab omnibus malis tutum esse dicit, & bonis omni-

omnibus cumulandum ipsius Dei verbis confirmat.

Psal. 91.

BOnum est confiteri Domino, &c.

Argumentum.

FEsta non ad vacandum voluptatibus instituta esse dicit, sed divinis laudibus, & considerationi operum Dei, ut sic justi in sanctitate crescant.

Psal. 92.

DOminus regnavit decorem, &c.

Argumentum.

REgnum Christi in passione stabilitum laudibus extollit, cujus possessionem in Resurrectione lætus accepit.

Psal. 93.

DEus ultionum Dominus, &c.

Argumentum:

DEi providentiam laudat in puniendo tandem malos, & bonos remunerando, & si aliquandò sinat prosperari malos, & opprimi bonos.

Psal. 94.

VEnite exultemus Domino, &c.

Argumentum.

INvitat populum ad Dei laudem corde, & opere Protestandam ob creationem, & specialem illius providentiam in deserto; monet ne duritiam Patrum imitentur.

Psal. 95.

CAntate Domino canticum novum, &c.

Argumentum.

OMnes nationes excitat ad laudandum Deum ob propagationem Regni Christi per orbem, & ut illi tan-

tanquàm Deo Regi ferant munera, & hostias.

Psal. 96.

DOminus regnavit exultet terra, &c.

Argumentum.

DEscribit perpetuam Ecclesiæ pacem, qua post judicium destructis hostibus fruetur ex eo, quod Christus in ea pacificè regnaturus sit.

Psal. 97.

CAntate Domino canticum novum, &c.

Argumentum.

CAnit Deo pro potestate salvandi, & judicandi, gentes Christo Regi tradita.

Psal. 98.

DOminus regnavit, irascantur populi, &c.

Argumentum.

CHristo per resurrectionem Regi declarato adorationem deferri jubet, & formam regnandi, qua sit usurus, describit.

Psal. 99.

IVbilate Deo omnis terra, &c.

Argumentum.

HOrtatur, ut Regi Domino hilaritèr serviant, & laudes frequentent, quoniàm ipse est Deus conditor, Rector, Suavis, Misericors, & fidelis.

Psal. 100.

MIsericordiam, & judicium, &c.

Argumentum.

DEi gratia adjutus narrat quam piè se gesserit in administrando Regno ut successoribus esset forma in gubernandis populis.

Psal. 101.

DOmine exaudi orationem meam, &c.

Argumentum.

DOcet quomodò peccator debeat preces fundere antè Deum, dum an-

xiatur & timet judicia ejus anhelat tamèn ad reconciliationem .

Psal. 102.

BEnedic anima mea Domino , & omnia , &c.

Argumentum .

SVadet omnibus, gratias agere de beneficiis acceptis , & Deum de præclaris ejus proprietatibus ; & præsertìm de benignitate laudare .

Psal. 103.

BEnedic anima mea Domino , &c.

Argumentum .

LAudat Deum ab ejus potentia , sapientia,& providentia , quæ in rebus creatis elucet , in quibus nihil non ordinatum invenitur .

Psal. 104.

COnfitemini Domino , & invocate , &c.

Argumentum .

BEneficia Dei in Israel collata recens t, & fędus cum Abraham initum posteris persolutum docet .

Psal. 105.

COnfitemini Domino quoniàm bonus , &c.

Argumentum .

LAudat misericordiam Dei ergà ingratos,qui ab illa in benedictionibus præventi , inobedientes tamèn Deo fuerunt,& in gratiam tandèm admissi sunt .

Psal. 106.

COnfitemini Domino quoniàm bonus , &c.

Argumentum .

IN quatuor periculis, captivitatis, carceris , ægritudinis , & naufragij , quæ hominibus Dei sapientia eveniunt , omnium malorum liberationem petit .

Psal. 107.

PAratum cor meum Deus, &c.

Argu-

Argumentum.

FRactis Philistæis Dei auxilio sperat, non solùm Isdraelitas, sed etiàm finitimas gentes sibi subjiciendas esse.

Psal. 108.

DEus laudem meam ne taceris, &c.

Argumentum.

EXecrationes adversùs ingratos, & supplicia, quæ illis eventura sunt, prænuntiat. Facinori, & supplicio Iudæ applicatur.

Psal. 109.

DIxit Dominus Domino meo, &c.

Argumentum.

SVmmam Christi majestatem, gloriam, & sacerdotium prædicit, cujus imperio prosternentur ejus hostes.

Psal. 110.

COnfitebor tibi Domine, &c.

Argumentum.

LAudat Dei opera à magnitudine, & æquitate; & mandata illius à firmitate, & veritate; & beneficia, quæ in Ecclesiam contulit.

Psal. 111.

BEatus vir qui timet Dominum, &c.

Argumentum.

LAudat virum timentem Deum, & misericordem, cujus mores, ac præmia describit, & omnibus proponit exemplo:

Psal. 112.

LAudate pueri Dominum, &c.

Argumentum.

HOrtatur ad laudem Dei etiàm parvulos, quod cum sit Altissimus, humilia respicit, & sublevat.

Psal. 113.

IN exitu Israel de Aegypto, &c.

Argumentum.

CAntat mirabilia Dei, quæ in egressu de Aegypto operatus est, ut suadeat populo perseverantiâ in cultu veri Dei, & spem in ejus protectione.

Psal. 114.

DIlexi quoniàm exaudiet, &c.

Argumentum.

GErit personam justi sitientis æternam salutem, hic tamèn gementis proptèr tentationes, & pericula.

Psal. 115.

CRedidi proptèr quod &c.

Argumentum.

GRatias Deo agit, & vota promittit pro salute æterna, quam spe cœpit possidere.

Psal. 116.

LAudate Dominum omnes gentes, &c.

Argumentum.

PRævidet tempus, quo simùl convenient Gentiles, & Iudæi ad laudandum Deum, illi quià misericorditèr vocati, isti quià in promissis cõfirmati sunt.

Psal. 117.

COnfitemini Domino quoniàm, &c.

Argumentum.

CAnit cum populo beneficia Dei, prætertìm quòd Christum in Ecclesiæ ædificio tanquàm lapidem angularem posuerit, & exaltaverit in Resurrectione.

Psal. 118.

BEati immaculati in via, &c.

Argumentum.

EXtollit legem divinam; cujus cultores Beatos pre-

predicat; elicit varios affectus ergà eam, & preces ad Deum.

Psal. 119.

AD Dominum cum tribularer clamavi, &c.

Argumentum.

QUeritur de calumniosis hominibus, cum quibus in exilio degens, nec patientia, nec ratione ad servandam pacem proficere potuit.

Psal. 120.

AD Dominum cum tribularer clamavi, &c.

Argumentum.

IN mediis montibus peregrinans divinum auxilium petit, & divino spiritu certò sibi, & aliis protectionem Dei promittit.

Psal. 121.

LÆtatus sum in his quæ, &c.

Argumentum.

LAetatur de pulchritudine Hierusalem, ad quã reverti maximè anhelat. Figura est ascensionis nostræ ad eam, quæ sursùm est Hierusalem.

Psal. 122.

AD te levavi oculos meos, &c.

Argumentum.

DOcet quomodò orare debet peregrinans ad cœlesté Hierusalem, qui tamèn in itinere opprobria patitur à superbis.

Psal. 123.

NIsi quià Dominus, &c.

Argumentum.

LIberati Isdraelitæ à persecutoribus exultant & laudant Deum. Sic debent justi à persecutorum manibus erepti.

Psal. 124.

QVi confidunt in Domino, &c.

Argumentum.

COnsilium præbet Peregrinis, ut in De spem totam ponant, qu

 cum

cum sit potens, & fidelis, pauperum oppressores confundit.

Psal. 125.

IN convertendo Dominus, &c.

Argumentum.

A Captivitate liberati Dei magnificentiã laudant, & ipsum orant, ut eos, qui remanserunt, in patriam redire faciat. Oratio justi pro conversione peccatoris.

Psal. 126.

NIsi Dominus ædificaverit domum, &c.

Argumentum.

OStendit nec domum extrui, nec Vrbem custodiri, nec aliud opus perfici posse sinè Dei auxilio Dilectus tamèn à Deo omnia potest.

Psal. 127.

BEati omnes qui timent Dominum, &c.

Argumentum.

EXhortatur ad pietatem proposita ingenti mercede virtutis etiàm in hac vita.

Psal. 128.

SAepè expugnaverunt me, &c.

Argumentum.

NE vincatur justus à præsentibus malis, graviora commemorat, à quibus se liberatum novit.

Psal. 129.

DEprofundis clamavi ad te Domine, &c.

Argumentum.

VOces exprimit gementium ob iniquitates suas, & Dei clemenriam obsecrantium, per quam certò sperant Redemptionem; animabus purgatorii congruit.

Psal. 130.

DOmine non est exaltatum cor meum, &c.

Arg.

Argumentum.

QVàm de se humilitèr senserit ipse testatur, cujus exemplo monemur Dei dona humilitate servare.

Psal. 131.

MEmento Domine David, &c.

Argumentum.

OStendit ardens desiderium ædificandi templum Dei: orat ut in domo sua stabiliatur Regnum Christi.

Psal. 132.

ECce quam bonum, & quam jucundum, &c.

Argumentum.

DOcet quantum bonum sit simùl habitantium. & consentientium fratrum Concordia.

Psal. 133.

ECce nùnc benediciteDominum, &c.

Argumentum.

SAcerdotes, & Levitas hortatur, ut in Ecclesiis levantes puras manus in oratione benedicant Domino.

Psal. 134.

LAudate nomen Domini, &c.

Argumentum.

INdicit servis Dei formam laudandi Dominũ, præsertim post captivitatem, & tribulationem aliquam.

Psal. 135.

COnfitemini Domino quoniàm bonus, &c.

Argumentum.

POst reditum è captivitate jubet laudari Deum, ab ejus operibus, & rebus gestis populi sui causa.

Psal. 136.

SVper flumina Babylonis, &c.

Ar-

Argumentum.

ISraelitæ abdicata omni lætitia in captivitate, assiduè ad patriam suspirant, & eversioné hostium prædicunt. Sic justus se gerat in hoc exilio.

Psal. 137.

COnfitebor tibi Domine, &c.

Argumentum.

GRatias Deo agit, quod exauditus de petitione Messiæ præviderit Christi gloriam, & conversionem gentium.

Psal. 138.

DOmine probasti me,&c.

Argumentum.

A Deo omnia nostra cognosci dicit, & ideò non posse decipi; orat, ut si quid in se resideat impietatis, vitam potiùs eripiat.

Psal. 139.

ERipe me Domine ab homine malo, &c.

Argumentum.

DEI auxilium implorat in persona Ecclesiæ adversùs iniquos homines, quibus interitum prædicit.

Psal. 140.

DOmine clamavi ad te, &c.

Argumentum.

ORat Deum, ut linguam, & cor suum custodiat, ne in voluptates tanquàm in peccatorum laqueos deducatur.

Psal. 141.

VOce mea ad Dominum clamavi, &c.

Argumentum.

IN spelunca odolla latens orat, ut effugiat imminens salutis discrimé. Christo in horto oranti cógruit.

Psal. 142.

DOmine exaudi orationem meam, &c.

Argumentum.

PErsecutionem Absalonis pœnam peccati sui esse agnoscens, peccata deflet, & veniam petit; forma precandi pro veris pœnitentibus.

Psal.

P*sal.* 143.

BEnedictus Dominus Deus meus, &c.

Argumentum.

DEO adscribit, quod ità gloriosè vicerit Goliath. prædicit victoriam Christi, & Ecclesiæ adversùs diabolum.

P*sal.* 144.

EXaltabo te Deus meus Rex, &c.

Argumentum.

DEI Regis majestatem, decorem, clementiam, & providentiam laudat, & ad hoc invitat omnes præsertim sanctos.

P*sal.* 145.

LAuda anima mea Dominum, &c.

Argumentum.

SVadet non in terrenorum Principum, sed in Dei potentia spem nostram esse collocandam; clementiam ejus, & regnantis justitiam celebrat.

P*sal.* 146.

LAudate Dominum quoniam bonus est psalmus &c.

Argumentum.

LAudat Dominum tanquàm laude dignissimũ, præsertim ob ejus potentiam, sapientiam, justitiam, & misericordiam.

P*sal.* 147.

LAuda Hierusalem Dominum, &c.

Argumentum.

INvitat etiàm cœlestem Hierusalem, ut Deo laudes referat, quod abundet Civibus; quod pace fruatur, quod bonorum ferax sit, & illius legibus benè exculta.

P*sal.* 148.

LAudate Dominum de Cœlis, &c.

Argumentum.

OStendit, unum esse omnium Creatorem, & Dominum, ad quem laudandun omnes creaturas invitat.

P*sal.*

Psal. 149.

CAntate Domino canticum novum, &c.

Argumentum.

DOcet populum laudare Dominũ pro victoriis, & præsertim pro gloria sempiterna, ad quam victis hostibus pervenire sperat.

Psal. 150.

LAudate Dominum in sanctis ejus, &c.

Argumentum.

OMnibus musicis instrumentis, & ardentissimo affectu jubet populum laudare potentiam, & magnitudinem Dei.

Canticum trium puerorum. Dan. 3.

BEnedicite omnia opera Domini Domino, &c. *Domin. ad Laud.*

INvitantur omnes creaturæ ad laudes Deo, gratiasque reddendas.

Canticum Zachariæ. Lucæ 1.

BEnedictus Dominus Deus Israel. *Dom. ad Laud.*

REsoluto linguæ vinculo Zacharias Deum laudat, quià in Christo plebem suam visitavit, & redemit, sicùt pollicitus erat, & munus Præcursoris Ioannem impleturum prophetat.

Canticum Isaiæ. Cap. 12.

COnfitebor tibi Domine, &c. *Fer. 2. ad Laud.*

GRatias Deo agit Populus, quod sub ejus patrocinio ab hostium dominatu liberatus sit, quod beneficium ubique divulgari optat.

Can-

Canticum Ezechiæ. Isai. 38.

EGo dixi in dimidio dierum meorum, &c.
Fer. 3. ad Laud.

SIcut maximo in mœrore fuit Ezechias de responso mortis, ità & de producta sibi divinitùs vita, multò magis lætatur, & reliquum vitæ in Dei laudibus se exa-cturum promittit.

Canticum Annæ. 1. Reg. 2.

EXultavit cor meum, &c. *Fer. 4. ad Laud.*

DE eximio filio sibi à Deo præstito laudes justissimas Deo canit Anna, & quià suam humilitatem extulerit, Æmulam verò de liberis gloriantem dejecerit.

Canticum Moysis. Exod. 15.

CAntemus Domino gloriosè enim, &c.
Fer. 5. ad Laud.

PRo demersione Pharaonis, & ejus exercitus Deum gloriosè celebrat; orat ut aliæ gentes perterritæ discant Dei potentiæ cedere, & populum ejus à divino cultu non deturbare.

Oratio Abacuch. Cap. 5.

DOmine audivi auditionem tuam, & timui &c.
Fer. 6. ad Laud.

PRæclaram Christi victoriam in liberando Populo celebrat, & ex prodigiis in Ægypto à Deo gestis, quę in Christi redemptione gerenda forent prædicit.

Canticum Moysis. Deut. 32.

AVdite cæli quæ loquor, &c. *Sabb. ad Laud.*

EXprobratio ingratitudinis populi Israel in Deum, & de justa ejus punitione.

Canticum Beatissimæ Virg. Mariæ. Luc. 1.

MAgnificat anima mea Dominum, &c. *Dom. ad Vesp.*

SPiritu Sancto plena Sanctissima Virgo toto corde exaltat eum, qui in se tàm magna operatus sit, cujus potentia humiles exaltat, superbos deprimit, & initum cum Patribus fœdus jam persolvit.

Canticum Symeonis. Luc. 2.

NVnc dimittis servum tuum Domine, &c. *Ad Complet.*

VItæ suæ cursum jàm expletum intelligit Simeon, cum salutare Dei viderit tanquam lumen hujus mundi tenebris effulsisse.

FINIS.

Romana, ſeù Viennen.

BEATIFICATIONIS, ET CANONIZATIONIS
SERVI DEI

P. DOMINICI
A' JESU MARIA

Ordinis Carmelitarum Excalceatorum.



UM Sac. Rituum Congregatio in Cauſa Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei P. DOMINICI A' JESU MARIA *prædicti per Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Card. Otthobonum Ponentem propoſita ſuper relatione Vitæ ejuſdem Servi Dei proprio Caractere conſcriptæ, & à bo: me: P. Magiſtro Julio Maria de Blanchis Ordinis S. Dominici Sac. Rituum Congregationis Conſultore, & Reviſore deputato jàm examinatæ, die* 14. *Decembris* 1720. *Emi-*

nen-

nentissimo Ponenti, attento obitu dicti P. Magistri de Blanchis, iterùm commiserit revisionem enunciatæ Vitæ, nec non aliorum duorum Opusculorum ipsius Servi Dei, cum facultatibus deputandi, unum, seù plures revisores ad effectum prædictum; Cumque modò ad instantiam P. Fr. Jacobi à S. Antonio Ordinis Carmelitarum Excalceatorum, ac omnium Causarum Beatificationum, & Canonizationum dicti Ordinis Postulatoris facta fuerit Relatio Censurarum per P. Joannem Antonium à Panormo Ordinis Minorum Observantium, & Patrem Mag. Josephum Nicolaum Cavero Procuratorem Generalem Ordinis B.M.V. de Mercede Redemptionis Captivorum Revisores ab Eminentia Sua deputatos exaratarum super præfatis Opusculis, quorum titulus est:

I. *Alia Argumenta Psalmorum ad utiliorem Divini Officii recitationem pag.* 15. *incipien.* Jesu Maria &c. & *terminat hujus Mundi tenebris effulsisse, Romæ impress. apud Zannettum Anno* 1623.

II. *Con-*

II. *Concerto, e Concordia Spirituale ſotto la protezzione della Beata Vergine Maria à benefizio univerſale dell' Anime, ſtampato per il Mancini in Roma l'Anno* 1677. *pag.* 24.

III. *La Vita del ſudetto Servo di Dio compoſta manoſcritta dal medeſimo in lingua Spagnola incipien.* Jeſus Maria, Fuele Pueſto precepto &c. *& terminat ad præmiſſa peragenda ſpecialitèr deputatus pag.* 128.

Eadem Sac. Rit. Cong. cenſuit reſcribendum: procedi poſſe ad ulteriora, ſi Sanctiſſimo D.N. placuerit. Die 9. *Auguſti* 1721.

Factaque deindè per me Secretarium de prædictis Sanctiſſimo D. N. relatione; Sanctitas Sua benignè annuit. Die 13. *ejuſdem Menſis, & Anni* 1721.

F. Card. Paulutius Præfectus.

N. M. Tedeſchi Epiſc. Liparitanus Sac. Rit. Cong. Secr.

ATTI DI DESIDERIO

Per la Santa Comunione.

Vieni vieni o Redentore
Dentro il povero cor mio;
Vieni o Padre, ah! vieni o Dio,
Sì, mi vieni a confortar.
Deh ti affretta o Buon Pastore,
Torno a Te, Te solo anelo.
Porgi al Servo o Rè del Cielo,
Porgi aita, ahi non tardar!

Già qual Cerva sitibonda
Questa errante Anima mia
Solo Te mio Dio desia,
Solo Te mio Buon Gesù.
Te mio gaudio, e mia delizia,
Te adorabile mio Sposo:
Vieni ah! dunque o Amor pietoso,
Vieni omai, non tardar più.